Σὺν Θεῷ μόνῳ.

E's τὴν ψυχὴν προῆκα *in Theologiæ exegeticæ palæstram descendere, atque in hac præsertim excutere illa loca, quæ a Pontificiis in N. Testamento ex libris Apocryphis allegata esse creduntur. Cum autem facile videam, præsentem materiam viribus meis majorem humerisque graviorem esse, inde a limine statim præsentis palæstræ Dominum meum Jesum Christum, perfectæ, eruditæ atque exercitatæ Linguæ Magistrum, supplicibus precibus* ἐξ ἄκρυ μυελυ *imploro, ut mihi*, de Allegatis Apocryphis quatuor Evangeliſtarum in N. Teſtamento, *seu mavis*, de Locis nonnullis, quæ in quatuor Evangeliſtarum hiſtoria ex libris Apocryphis allegari putantur, *scripturo, vires ac σύνεσιν ἐν πᾶσιν impertiri, & exoptatissimo coronare me fine, velit. Neque enim facile inoffenso pede hic aliquis proceſſerit, qui inops erit hujus auxilii, nec quicquam, nisi res afflictas, in suo penu senserit. Miranda autem merito est Pontificiorum* ἀκεισία, *eorum quidem, qui, ut Majestatem, atque Authoritatem N. Testamenti maxime supprimant, omnes latebras circumspiciunt, & desperatæ suæ causæ non dicam præsidium, sed colores saltem fucatos atque prætextus conquirunt. Nempe enim solet ita fieri, quoties humana divinis, temporalia æternis, cœlestia terrenis præferimus. Neque enim facile tanta detineret protervia quosdam Romanenses, nisi toto, eodemque tantum non audaci, impetu in istud incumberent, illucque turbatô mediorum salutis ordine omnes ablegarent, qui soliciti sunt de præsenti non minus, quam futura, animæ suæ felicitate. Cum itaque quilibet, qui veri Christiani nomen tueri cupit, in istud debeat apprime invigilare, ne Summi Numinis Authoritas labefactetur, ideo etiam, quantum in me erit, & curta virium mearum supellex suffragabitur, sedulo id agam, ne Majestas divinarum literarum, præsertim SS. N. Testamenti, ab objectis telis quorundam Pontificiorum patiatur vitium; sed ut veritas, quasi in illustri monumento sita, undiquaque eluceſcat. Cæterum, quia omnia Allegata Apocrypha uno cursu transire res futura est impar & meis viribus & sumptibus, hanc ob causam intra limites Evangeliſtarum quatuor me continebo. Novi enim satis, quod multi sint loci in Actis Apostolorum & in Epistolis eorundem, quorum primam quasi originem Romanenses ex libris Apocryphis volunt deducere; sed quos, utrum apte, an inepte catenam* παραλληλίας *connectant, ex illis, quæ ad*